

per legem membrorum repugnantem, ut habetur ad Ro(manos) 8 ^{a)} ³¹⁾. Ideo ille principatus, qui obedit omnino tam in temporalibus quam in spiritualibus, assimilatur ^{b)} statui innocencie ^{c)}, ille autem qui obedit tantum in spiritualibus assimilatur statui ^{c)} nature lapse. Intelligendum ^{d)} tamen, quod natura angelica a principio creationis universi cepit esse divisa, cum dicitur Genesi primo: divisit ^{e)} Deus lucem a tenebris ³²⁾, ita quod in sanctis angelis fuit subiecta et subordinata principi ierarchie supercelestis, in malis autem angelis noluit esse subiecta eidem principi ^{f)} nec subordinata, set voluit ^{g)} esse sui gratia. Unde Lucifer princeps eorum, qui est rex super omnes filios superbie ut dicitur Iob ³³⁾ et ^{g)} introducit loquens Ysaie 14: ascendam ^{h)} in celum etc. usque ero similis altissimo ³⁴⁾.

(V) Nunc autem ad propositum redeundo ostenditur, quod in universo non est dare unum monarcham, qui ita presit omnibus temporaliter, quod nulli in temporalibus sit subiectus accipiendo universum secundum optimam dispositionem possibilem sibi pro statu isto, quia tunc est universum melius dispositum, cum habeat ⁱ⁾ optimum principatum. Set melior est principatus temporalium, si subordinetur ^{k)} et connectatur principatui spiritualium, quam si sit secundum se absolutum et sui gratia, ut fuit ostensum. Ergo universum secundum optimam sui dispositionem habet principem temporalium sic subiectum. Ista autem deductio sic confirmatur, primo quia, cum homo dicatur esse minor mundus ^{l)} sive ^{m)} microcosmus ^{m)}, melior est dispositio hominis, cum portio rationis inferior subicitur superiori, quam si non subiciatur, et ideo cum in ⁿ⁾ universo spiritualia teneant locum superioris portionis, temporalia vero locum inferioris, melior est dispositio universi, quando temporalia spiritualibus subiciuntur et ^{o)} subnectuntur ^{o)}. Secundo quia melior est dispositio hominis, in quo anima sensitiva subicitur ^{p)} anime intellective quam ubi ^{q)} anima sensitiva

a) fehlt P 2. b) fehlt P 2. c) inn. — statui fehlt P 2. d) interdum P 2. e) fehlt P 2. f) principatui P 1. g) fehlt P 2. h) conscendam P 2. i) habet P 2. k) subordinatur P 2. l) mundus P 2. m) fehlt P 2. n) fehlt P 2. o) fehlt P 2. p) subiugatur P 2. q) nisi P 2.

³¹⁾ Röm. 7, 23.

³²⁾ Gen. 1, 4.

³³⁾ Hiob 41, 25.

³⁴⁾ Jes. 14, 13. 14.